



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio Cl. De prodigiis, quæ Christo pendente, & moriente in cruce,
in cœlo & in terra facta sunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO CI.

De prodigiis, quæ Christo pendente, & moriente in cruce in cœlo & terra facta sunt.

Et obscuratus est sol: Et velum templi scissum est &c.
Luc. 23. 45.

I.

REge potentissimo indignâ morte extincto, perturbantur aulici & omnes fideles subditi. Hoc videre erat in Josia Hebræorum duce ac pientissimo Rege, qui omnes abominaciones abstulit in Israël, & cultum veri Dei in regno exulantem reduxit, hic, cum in bello pro salute patriæ & subditorum fortiter pugnasset, & lethali vulnere percussus interiisset, observat Scriptura, quod ab omnibus mirandum in modum fuerit deplanctus: *Universus* 2. Par. 35. 24. *Israël & Jerusalem luxerunt eum.*

Mortuus est Rex Regum, & Dominus Dominantium in bello, ubi cum diabolo, mundo & peccato duello confixit mirando, mortuus, inquam, est, & quidem in cruce morte indignissimâ, centenis vulneratus plagis, quem non duntaxat plangebant pii sed & *Angeli pa-* 1^a 33. 7. *cis amarè stebant*, imò cœlum & terra, dum in illius obitu tot facta sunt prodigia: *Expavit*, ait S. Bernhardus, *tota machina mundi, ubi Christus in* 1^a 45. 9. *ligno crucis mortuus est: Venite, & videte opera, qua posuit prodigia super terram.*

2. *Sol obscuratus est*, ut ignominiam creatoris sui in cruce coram *Luc. 23. 45.* omnibus denudati aliquo modo tegetet. Figuram hujus accipe ex Noëmo Patriarcha in tabernaculo suo denudato, & à Cham protervè illuso, quem Sem & Japhet filii faciem ab ejus nuditate avertentes, pallio tegebant; unde S. Hieronymus: *Videtur*, inquit, *mibi Sol retraxisse* S. Hieron. hic *radios suos, ne aut pendentem Dominum viderent, aut impii blasphemantes sua* 1^a Math. *luce fruerentur.* Et pergit Evangelista: *Et tenebra facta sunt super universam terram.*

Bbb 2

terram.

Exod. 10. 22. *terram.* Attende: Cum Moyses dux & legifer populi Israelitici, jubente Deo extendit manum in cœlum, *facta sunt tenebrae horribiles in universa terra Egypti tribus diebus.* Christus Filius Dei vivi extendit manus suas in cruce, & factæ sunt tenebræ tribus horis non tantum in Ægypto & Palestina, sed & in toto terrarum orbe. S. Dionysius ait se hanc ecclipsim vidisse, ideo exclamavit: *Aut Deus natura, auctor mundi patitur, aut mundi machina dissolvitur.*

3. In hac generali ecclipsi verificatum fuit illud Amos Prophete vaticinium: *Et erit in die illa, dicit Dominus Deus: occidet Sol in meridie.* Hoc prodigium factum est in passione Christi, quæ Sol quasi pullatus incescit; & luxit creatoris sui cruentam & tam indignam necem; ita S. Hieronymus, S. Augustinus, & alii apud Cornelium. O tristes luctus!

Drex deChristo moriente.

Audite quid Tamerlanus, terror orbis, fecerit. Cum aliquam civitatem oblidere voluit, prima die ante conspectum civium vexillum candidum erigi iussit, ut obsessis significaret, si sese dederent, indemnes esse futuros. Altero die figebat vexillum purpureum, ad indicandum, si nollent se subicere, demerenda esse illorum capita. Tercio die si persisterent tanquam hostes repugnare, atrum & nigrum vexillum ante illorum conspectum posuit, ad indicandum, jam nulli amplius parcendum, sed sanguine miscenda omnia, & flammis devastanda.

Christus IESUS non terror orbis, sed amor & delicia generis humani, mundum a servitute diaboli vindicaturus, triplex quoque vexillum nobis proposuit, album in ultima cœna, dum linteo se præcinxit: & discipulorum pedes lavit, atque tunc præsertim, dum sub specie panis candidi se ipsum in SS. sacramento in cibum præbuit. Altero die purpureum, dum iussu Pilati cruentum in modum flagellatus est; denique nigrum, dum horrendas mundo universo tenebras immisit: *Tenebra facta sunt in universam terram.*

Luc. 23. 44.

Josue 10. 12
Ma. 38. 8.

4. Tempore Josue belli Ducis invictissimi Sol in medio cursu stetit: *Sol contra Gabaon ne movearis.* Tempore Ezechie Regis Sol in cursu suo retrogressus est: *Et reversus est Sol decem lineis per gradus, quos descenderet.* Tempore passionis in die Parasceves Sol omnino obscuratus est, & sub atro velamine se abscondit, quia non poterat videre Dominum ac Creatorem suum tam misera morte pereuntem, ut sic ostenderet Christum verum fuisse DEum, cui funebria volebat persolvere; quod & ceteræ creaturæ irrationales fecerunt, omnes suo Domino condolentes, ut nos confunderent, si ei non ex animo condoleamus, qui causam mortis ei dedimus.

5. Da-

5. David, ubi ab Amalecita intellexit, quòd Saul & Jonathas in bello fuerint interfecti, scidit vestimenta sua, ut dolorem suum palam ostenderet, quantum utrumque aestimaverit, quibus tam lugubri modo parentavit: *Apprehendens autem David vestimenta sua scidit, omnesque viri, 2. Reg. 1. 11. qui erant cum eo, & planxerunt, & fleverunt.*

Pater aternus percepta Unigeniti Filii sui morte quid fecit? Scidit vestimenta sua, hoc est, Velum templi in Sancto Sanctorum in detestationem sceleris Judæorum; Si enim Caiphas summus Pontifex, ubi audivit à Christo ipsum esse Filium Dei, quasi hoc esset blasphemum, in signum doloris vestimenta sua scidit: *Tunc Princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua dicens: Blasphemavit, quid adhuc egemus testibus? Decuit & conveniens fuit, ut ipse DEus Pater ejusmodi signum daret in detestationem deicidii dilectissimi Filii sui, hinc pretiosissimum templi velum per Angelos scindi voluit, sub quo ipse quodammodò sedens in templo amictus, & velatus fuerat: Et ecce velum templi scissum est in duas partes à summo usque deorsum, & cœli obstupescite! Nunquam res talis facta est in Israel. Audiamus D. Hieronymum: Velum templi, inquit, scissum est, & omnia legis Sacramenta, quæ prius tegebantur, prodita sunt. Ibi habitabat Arca, quæ continebat Manna, nunc in Ecclesia Dei SS. Eucharistia; ibi asservata fuit Virga Aaronis, nunc Crux Dominica; ibi erat propitiatorium, nunc ipse DEus & Homo Christus propitius peccatoribus. Hic adimpletum fuit illud Veritatis: Anseretur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Sic fiet illi, qui Deum deserit.*

6. Dixerat aliquando Christus: *Si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Luc. 19. 40. Ecce in morte Christi & lapides clamabant, arguebantque Judæorum faxea pectora ipsis faxis duriora, proinde S. Ambrosius: *O duriora faxis pectora Judæorum! finduntur petra, sed horum corda durantur: horum immobilis duritia manet orbe concusso.* Lapidem, inquam, testabantur Christum esse DEum, & homines tot visis prodigiis negabant, ex quorum consideratione etiam impiissimi debuissent scindi ad pœnitentiam. Nec hoc tantum Hierosolymis in rupe Golgothæa accidit, sed & alibi terrarum, prout patet in monte Alvernia, in quo à Christo crucifixo quinque SS. Vulnerum stigmata S. Franciscus accepit, in Promontorio ad littus Campanum Cajeræ, in Hispania in monte, qui dicitur Monseratus & passim in pluribus aliis orbis partibus, prout vidi quondam Romæ ad S. Joannem Lateranensem ex Hierosolymis illuc translatas marmoreas columnas, quæ per medium præcisæ conspiciuntur cum hoc inscripto: *Et petra scissa sunt.* Et cor tuum adhuc

immotum est? Non scindatur ad passionem & mortem Domini? Orupes, ô cautes!

7. Cùm vidissent quondam homines ad unam vocem Christi
 Math. 8 27. mare iratum & ventos placatos, exclamarunt admirabundi: *Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei?* Et qualis est hic anime mi, quem
 Math 27. 51. mortuum in cruce omnia Elementa deplorabant: *Terra mota est*, tanquàm abhorrens à tam immani scelere in Creatorem suum admisso, quia hoc deicidium tantum scelus erat, ut illud sustinere terra non posset, nec vellet, proinde aperire voluit os suum, ut sicut quondam
 Num. 16. 31. Core, Dathan & Abiron cum omni eorum familia vivos deglutivit, ita & nunc omnes peccatores terræ voluit devorare & sepelire in inferno, nisi mitissimus JESUS in cruce orasset; *Pater dimitte illis; quia nesciunt quid faciunt.* Et quid sequitur? *Et monumenta aperta sunt*, extra urbem videlicet, ut ipsa cerni possent cadavera, ô qualis horror! Et tamen nullus mortuorum ante Christum in vitam rediit, quod dilucide demonstrat S. Hieronymus: *Et tamen cùm monumenta aperta sint, non antea resurrexerunt, quàm Dominus resurgeret, ut ipse esset primogenitus resurrectionis ex mortuis*
 S. Hieron. hic.
 Gen. 4 II. Olim dixit DEUS Caino fratricidæ: *Terra aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua.* Cùm Dei Filius, Abel innocentissimus sanguinem omnem pro nobis fudit, poterat dicere Pater celestis: Ecce terra undique panditur, quæ sanguinem Filii mei de manu vestra requirit, sed misericordiam volo, non iudicium, Sanguis enim Filii mei meliùs clamat, quàm Abelis, non vindictam, sed misericordiam, En fructum passionis.

